



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Pvrgatorio

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVIII. Quibus prosint suffragia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

artic. 2. Nam quando seruus de pecunia domini sui facit ele-
mosynam , illud opus propriè est domini , non serui , & idèo
malitia ministri non vitiat opus ; at dum subditus orat , vel ie-
iunat , opus propriè est ipsius subditi ; ipse enim suo labore o-
peratur , non labore domini sui . vnde B. Hieronymus libro
contra Vigilantium , dicit , melius esse dare eleemosynā pau-
peri iusto , quām iniusto , quia ille orans pro benefactore , ex
auditur , alter non exauditur .

CAPVT XVIII. Quibus profint suffragia.

VANTVM ad QVARTVM , certum est , Ecclesia suffragia non prodeste beatis , nec damnatis , sed solūm iis , qui in Purgatorio degunt ; quia priores non egent , posteriores non possunt iuuari , id quod docent omnes Scholastici in 4. dist. 45. sequenti Augustinum , qui in Enchiridio , cap. 110. & de cura pro mortuis , cap. 1. dicit , Ecclesiæ suffragia pro valde bonis gratiarum actions esse , pro non valde malis propitiationes , pro valde malis nulla esse adiumenta mortuorum , sed qualescunque viuorum consolationes .

At sunt in contrarium tres difficultates . PRIMA , de beatis . Videtur enim falsum , quod beatis non profint suffragia ; nam Epiphanius hæresi 75. & Cyrillus catechesi 5. mystagogica , & Chrysostomus in sua liturgia , dicunt , sacrificium offerri Deo pro Apostolis , Martyribus , Prophetis , &c.

Præterea SECUNDO , Ecclesia in orationibus de Sanctis sœpe legit : *Sumpsimus , Domine , sancta mysteria , quæ sicut Sanctis tuis profint ad gloriam , ita nobis , quæsumus , proficiat ad medelam .* Et in antiquis Missalibus , ut testatur Innocentius III. cap. Cùm Marthæ , extra de celebratione Missarum , in die S. Leonis , dicebatur : *Annue , quæsumus , Domine , Et anima B. Leonis hac proficit oblatio .* Et licet hæc oratio mutata sit , tamen adhuc hodie in secreta oratione in eodem festo dicimus : *S. Leonis Confessoris tui atq[ue] Pontificis annua solennitas nos tibi reddat acceptos , Et per hac pia placationis officia , Eillum beataretributio comitetur , Et nobis gratia tua dona conciliet .*

Præ-

Præterea C H R Y S O S T O M V s homil.33. in Matth. exhortans ad eleemosynas pro defunctis filiis: *Putas, inquit, eum maculis inquinatum? da illi sua, vt illis se à maculis detergat: putas in iustitia deceſſisse? prabe ipsiua, ad mercedis & retributionis adiunctionem.*

Ad P R I M U M facilis est responsio; sacrificatur enim pro Sanctis, non ut eis aliquid petamus, sed ut pro gloria illis collata Deo gratias agamus. id enim est, quod Augustinus dicit, pro valde bonis gratiarum actiones esse.

Ad reliqua respondet Innocentius, vbi suprà duplíciter. P R I M O , cùm Ecclesia petit gloriam Sanctis, qui regnum cœlorum iam possident, non petere, vt illi in gloria crescant, sed, vt apud nos gloria eorum crescat, id est, vt toti mundo gloria eorum innoteſcat, & illi vbique magis & magis glorificentur. S E C U N D O dicit, non videri absurdum, si petamus illis augmentum gloriæ alicuius accidentalis. Adde T E R T I O , fortasse peti gloriam corporis, quam habebunt in die resurrectionis. nam etiamsi gloriam illam certò consequentur, & debetur eorum meritis, tamen non est absurdum hoc illis desiderare & petere, vt pluribus modis debeat. Cùm ergo Augustinus dicit serm. 17. de verbis Apostoli, iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre, intelligitur de illis, qui Martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quasi illa careret.

S E C U N D A difficultas est de damnatis. Nam Augustinus Enchirid. cap.110. dicit: *Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, vt plena fiat remissio aut tolerabilior sit ipsa damnatio.* Et cap.112. sic ait: *Pœnas damnatorum certis temporum interuallis existimét, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.*

Item C H R Y S O S T O M V s homil.3. in epistola ad Philipenses, posteaquam dixerat orandum pro defunctis, subdit: *Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt, Catechumeni Verò neq; hac digni consolatione censentur, sed omni huiusmodi sunt auxilio destituti, prater unum solum.* quod autem illud pauperibus eorum nomine dare licet, *Vnde eis nonnihil refrigerij accedit.*

Præterea D A M A S C E N V S in oratione de defunctis, non solùm refert de Traiano & Falconilla liberatis ex inferno per orationes Gregorij & Theclæ, de quibus suprà diximus, sed etiam addit ex historia Palladij ad Lausum. S. Machario aliquando percontanti cranium aridum cuiusdam idololatæ, an eis prodeßent preces viuetum, responsum fuisse ex crano: *Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.*

Præterea P R V D E N T I V S in Hymno de nouo lumine Paſchalis Sabbathi ait:

*Sunt ē spiritibus sape nocentibus
Pœnarum celebres sub stige feria, &c.*

Denique I N N O C E N T I V S III, cap. Cùm Martha, ponit quadrimembrem diuisionem; dicit enim, ex mortuis quodam esse valde bonos, qui non egent suffragiis; quosdam valde malos, qui non possunt iuuari; quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia prosunt ad expiationem; quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem; at cetera vltimum membrum non videtur conuenire, nisi pueris in limbo. Si enim valde boni sunt in cœlo, valde malis sunt in Gehenna ignis, mediocriter boni in Purgatorio: ubinam erunt mediocriter mali, nisi in limbo? ergo illis prosunt suffragia, cùm tamen in Purgatorio non sint.

Respondeo ad P R I M U M, Augustinum per tolerabiliorem damnationem intelligere mitigationem pœnarum Purgatorij, vt patet ex præcedenti trimembri diuisione.

Ad S E C U N D U M dico, Augustinum ibi non agere de oratione pro defunctis, & solùm dicere, non esse erroneum concedere, damnatos puniri citra condignum, quod clarius docet lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 24.

Ad T E R T I U M, Chrysostomus solùm videtur negare ordinum esse publicè, vel sacrificandum pro Catechumenis, vt etiam aliquando definiuit Concilium Bracarense I. can. 35.

Ad Q U A R T U M, B. Thomas in 4. dist. 45. artic. 2. quæst. post refutatas ineptas solutiones Præpositiui, Porretani, & aliorum, respondet, animas damnatorum orationibus Sanctorum non percipere veram aliquam pœnarum mitigationem, sed solùm inane, & fallax aliquod gaudium, quod nimurum videant se habere socios in pœnis, quale est gaudium

Dæmo

Dæmonum, cùm aliquem decipiunt. At fortasse melius rei-
cerentur, vt falsa & apocrypha, quæ afferuntur de illo cranio;
non enim in libro Palladij tale aliquid inuenitur, nec est ve-
risimile, S. Macharium orasse pro infidelibus.

Ad QUINTVM nihil aliud dico, nisi more poëtico lusisse
Prudentium.

Ad VLTIMVM, quòd multos torquere solet, suspicor In-
nocentium III. memoria lapsum putasse diuisionem, quæ est
apud Augustinum trimembri, fuisse quadrimembrem; nam
apud Augustinum iidem sunt mediocriter boni, & mediocri-
ter mali. Innocetius autem distinguit hoc membrum in duo,
dicens: *Alij sunt mediocriter boni, alij mediocriter mali;* pos-
sumus tamen dicere, mediocriter bonos dici, qui nullam ha-
bent culpam, sed tamen habent reatum pœnæ: mediocriter
malos dici eos, qui habent culpam aliquam, sed venialem
tantum.

TERTIA difficultas est de animabus Purgatorij. Nam
Theologi conueniunt in duobus, & in uno non conueniunt.
Conueniunt PRIMO, quòd suffragia omnia prosint omni-
bus, saltem quatenus adferunt nouum gaudium. id enim com-
mune est omni bono operi, vt de illo gaudeant omnes boni,
iuxta illud Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.*

SECUNDO conueniunt, quòd suffragia communia, quæ
fiunt pro omnibus defunctis, prosint etiam omnibus anima-
bus Purgatorij, non solum in ratione gaudij, sed etiam in ra-
tione satisfactionis, nulla enim est cauſa cur aliqui exclu-
dantur.

A T dissentient de suffragiis particularibus. Nam Caieta-
nus in tomo I. opusculorum tractat. 16. quæst. 5. docet, omnes
quidem animas iuuari posse, & iuuari etiam communibus
suffragiis: at particularibus, quæ pro illis fiunt, non iuuari ni-
si illas, quæ peculiariter meruerunt, vt sibi talia prodeſſent;
dicit autem eas peculiariter mereri, quæ h̄ic in terris habue-
runt specialem deuotionem ad claves Ecclesiæ; & solliciti fu-
erunt pro animabus aliorum; & probat ex Augustino lib. de
cura pro mortuis, cap. I. & in Enchir. cap. 109.

ALII verò, quos citat B. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art.
4. dicebant suffragia, quæ fiunt pro uno, non ei solū prodeſſe,
verū etiam omnibus aliis, nec minus aliis, quam illi, sicut

KKKkk 5 lucerna

lucerna accensa pro domino, & qualiter illuminat seruos, qui
in eodem loco sunt.

Sententia communis est in medio, quod nimis suffragia particularia, omni & soli illi profint in ratione satisfactionis pro quo fiunt. Quod omni contra Caietanum, patet, quia fundamentum communicationis suffragiorum non est aliquid peculiare meritum, sed status gratiae. Sanctus enim Augustinus cum dicit solis illis prodesse suffragia qui meruerunt ut sibi prodesse possint, per exclusiunam, solis, non excludit vias animas Purgatorij, sed animas damnatas. & notandum, diligenter Augustinum in Enchiridio non dicere suffragia iuuare illos defunctos qui meruerunt ut sibi prodesserent, sed qui meruerunt ut sibi prodesse possent.

Quocirca Caietanus, qui dicit omnes animas iuuari posse, sed de facto non iuuari, non habet pro se Augustinum, ut ipse arbitratur. Quod autem haec suffragia particularia soli illi profint, pro quo fiunt, patet, nam applicatio eiusmodi bonorum pendet ex intentione applicantis, nec debent comparari ista suffragia lumini lucernae, sed potius pecuniæ, que soluitur ab uno pro altero.

Notandus est etiam locus Augustini pro hac sententia ex lib. de cura pro mortuis, cap. 4. vbi dicit idem Ecclesiam orare interdum pro defunctis omnibus in genere, ut quibus defunt parentes vel amici, qui pro eis orent, & proinde remanent auxilio destituti, habeant saltem auxilium à communi matre, quæ est Ecclesia.

C A P V T X I X.

Defunere.

IXIMVS hactenus de spiritibus defunctorum. Nunc de sepultura corporum dicendum est. Hæretici huius temporis non reprehendunt ipsam sepulturam, reprehendunt tamen multa circa sepulturam.

PRIMO, quod in locis sacris sepeliamus, atque ad hoc cagamus cœmeteria. Hoc reprehendunt hæretici aliqui in Boemia apud Æneam Sylvium de origine Boëmorum, cap. 35. & potest afferri argumentum, quod nihil profit locus sepulturæ, ex illis verbis Lucæ 12. *Ne terreamini ab his, qui occidunt*
corporis